

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

**FERIA QVARTA HEBDOMADAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE, Epistola,
Esther 13.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

solius est Christi. Talium pro dolor, hoc infœlici nostro seculo quanta sit turba, satis suo malo varia experiuntur regiones: in quibus miseræ plebeculæ magna & incredibili tyrannide domoantur sectarij: qui sua variarum hæreseon paradoxa, non secus ac si diuina essent oracula, proponunt. Vult enim Christus omnes sibi esse subiectos, qui magisterij titulos accipiunt: non vt honoris tantum sint otiosi magistri, sed qui populum doceant, ne quid contra ipsius verbum doceant.

FERIA QUARTA HEBDOMADAE

SECUNDAE QUAD RAGESIMAE,

Epistola, Esther 13.

Mardocheus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius, & dixit, Domine, Domine rex omnipotens, &c. Finis Epistolæ: & ne claudas ora te canentium.

Luc. 18.



ESTHER in oratione, quam ex animi angustia domino offert, agit tria.

I Primò, vt gratiam Dei atque eius in se misericordiam obtineat, humili confessio-
ne, Deo tribuit omnipotentiam, imperij dominatum, & gloriam. quibus epithetis, tanquam soli Deo propriis, solent veteres, si quando in rerum desperatione essent constituti, ipsum ex fide inuocare, qua crediderunt esse eum solum, qui & posset, & vellet suos de tentatione eripere, qua fiducia crediti fortiter quicquid esset aduersitatum, miseriarum, persecutionum, & afflictionum ferebant, scientes non nisi iusto Dei iudicio, & suorum peccatorum merito accidisse, non casu aut fortuito, vt solent impij, Dei prouidentiam ignorantes, dicere in corde suo, Non est Deus, Psalm. 13. Quales nunc multi sunt Epicurei, Sardanapali, Alcinoi: & canes impudētissimi: quos non magis præsentium temporum agit calamitas, quæ si prorsus omni sensu essent destituti: sic suis immeriti deliciis & voluptatibus, vt quasi Stoicam quandam indolentiam induisse videantur. At longè profectò aliter nostra Esther, quæ licet in summis agere deliciis videretur, nempe, potentissimi regis Assueri con-

Omnipotentia soli Deo propria.

*Pœnitentiæ
arma, ieiuni
um, oratio et
cetera.*

iunx charissima, in palatio omnium rerum copiam habens, tota deliciis pigmentorum affluens, & Regio diademate ornata, orbis Regina, angitur tamen populi sui afflictione, quem intellexit impiū Aman in capitis periculum adduxisse, & ex charitate, quæ propriis cōmunia anteponit, commune populi periculum in se suscipit, & quasi sola damnationis sententia subiaceret, dolet: ieiunat, orat, cinere & sacco vestitur, & pro se orare iubet. Intelligebat enim hac methodo Deum peccati merito offensum, & supplicia minitantē, ad misericordiam flecti, tensum arcum remitti, gladium iræ Dei vibratum occultari. Itaque istis pœnitentiæ armis sese irato Deo opponit, dicens, *Domine, Domine in ditione tua cuncta sunt posita, non est qui tua possit resistere voluntati. Tu facisti celum & terram, & quicquid celi ambitu continetur, & Dominus vniuersorum tu es. Quæ plena fiduciæ oratio soli Deo omnem tribuit gloriā & honorem, in illius sinum se totam copiiat, vt ostendat ex ipso ea omnia quæ humanæ salutis expediunt dependere.*

2. Secundò, Captata beneuolentia, artificio planè Rhetorico statum causæ, humili orationi proponit, insinuat non populum tantum suum, sed se quoque periculo inuolutam esse. Itaque non prætexit aut suā, aut populi iam condemnati merita, virtutes, iustitiam, & sanctimoniam: hæc enim, quia exigua erant in populo, idē periculi magnitudine conseruata, exposita necessitate clamat, dicens, *Domine Deus Rex Regum, miserere populo tuo, volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti de Aegypto, &c.* Sic solent fideles ad Dominum, quum tribularentur clamare, Psalmo 119. & 30. In te Domine speraui, non confundar in æternum: In iustitia tua libera me, & eripe me. & Danielis capit. 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuā, sed in miserationibus tuis multis, &c. Est autem tota patetica oratio & emphatica: quasi dicat, O Deus, tu qui solus potes, nō in tres in iudicium cum populo tuo, sed miserere, non mihi tantum, quæ, si externa spectes, non ita ego: sum enim potentissima orbis Regina, extra periculum constituta, Regio amplexu secunda, & formæ venustate

omnibus gratissima: sed populo tuo, qui licet peccarit, tuus tamen est populus: iure creationis, quem ad imaginem & similitudinem tuam creasti: iure redemptionis, quem in manu forti eduxisti de terra Aegypti. Nec satis id tibi clementissimo Patri, sed addidisti tui cognitionem, legem, voluntatis tuæ indicem, caeremonias, quibus excoli voluisti ab ipso, & regionum fertilissimarum possessionem opulentam, ut non possis non tum agnoscere populum, tot beneficiis olim à te affectum, quem nunc coniurati nominis tui hostes volunt data pecunia perdere, delere, trucidare, & extinguere: ne scilicet, vlla supersit sanctissimi nominis tui memoria. Patere igitur ut viuentes laudemus nomen tuum, nequando dicant gentes, vbi est Deus eorum? Nam populo tuo saluo, & incolumi, me quoque ancillam tuam seruasti. Constabit promissionum tuarum veritas: confundentur inimici tui.

3 Tertiò, Necessitate detecta, addit petitionem, qua petit exaudiri, dicens, *Exaudi deprecationem nostram, propitius esto sorti & funiculo hereditatis tue, & conuertere luctum nostrum in gaudium, ut scilicet, viuentes laudemus nomen tuum.* Siquidem in tanta animorum consternatione, vbi tam acerba imminet capiti pericula, fieri nequit, ut mens officium faciat, ut ex fide Deum inuocet, colat, adoret, vel reueretur. Ideò David expertus in se hanc animi conseruationem, ex consternatione iræ Dei, quam peccatis suis fuerat promeritus, exclamat, Anima mea turbata est valde, Psalm. 6. Defecit virtus mea, Psalm. 70. Ossa mea sicut cremum aruerunt, Psalm. 101. Aruit cor meum, &c. Psalm. 101. Ideò Psalm. 34. petit, Dic animæ meæ, salus tua ego sum. Hoc enim est quod Esther hoc loco petit: *Conuertere luctum nostrum in gaudium, ut scilicet, ex spiritu tuo diffuso in cordibus nostris, agnoscamus præsentium temporum pericula, calamitates, & miseras, quibus hostes fidei Ecclesiam opprimunt, & cum sanctissima hac deprecatrice ex vera contritione, & peccatorum cognitione, in ieiunio, fletu, planctu, & cinere, sic Dominum oremus, ut ex oremus, & Regum ac Principum animos ad Ecclesiæ suæ defensionem excitet, hæresiararcham, qui in Ecclesiæ*

FERIA QVARTA

perniciem coniurarunt, conatus impediatur, ut id ipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, sed in charitate, quæ est vinculum perfectionis, laudemus Deum in corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.

FERIA QVARTA HEBDOMA

DAE SECUNDÆ, EVANGELIUM,

Matthæi 20.

Et ascendens Iesus Hierosolimam, assumpsit duodecim discipulos secreto, & ait illis, Ecce ascendimus Hierosolimam, &c. Finis Euangelij: & dare animam suam in redemptionem pro multis.

*Pœnitentia
sine merito
passionis
Christi effi-
cax esse nō
potest.*



VIA sacra pœnitentia, ad quam nos quadragesima tempus hortatur, efficax sine merito passionis Christi esse nequit, hoc Euangelio nobis proponit quatuor.

1. Primo, Discipulis secreto enumerat passionis sue future omnia mysteria, scilicet, quod tradetur Principibus Sacerdotum & Scribes, condemnabitur morte, tradetur gentibus, illudetur, flagellabitur, crucifigetur, & tertia die resurget: quibus verbis Christus, præter quam quod diuinitatis sue potentiam, qua futura omnia præscire sese demonstrabat, ostendit arcanum Dei Patris concilium, quo voluit filij sui humilitate antiqui hostis superbiam elidere, ac de peccato damnare peccatum, ut iustitia legis impleretur in nobis, si tamē compatimur. Nequit enim vera Christiani hominis iustitia, quæ non nisi merito passionis Christi contingit, in deliciis consistere: quare si Christum pati oportebat, & ita intrare in gloriam suam, Luc. 24. multo magis nos ob varias causas. Prædicat autem Christus omnia scilicet,

1. Ut ostenderet sese, iuxta Prophetarum oracula, non inuitum, sed protus voluntarium passionem suscepisse, Isa. 53. Iohan. 10. oblatum est, quia ipse voluit potestatem habeo ponendi animam meam, &c. Neque Iudeorum conuictum potentia, morti succubuisse sed propria voluntate, & amore nostri: propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

*Christus vo-
luntariè pas-
sionem sus-
cepit.*

2 Vt discipulorum animos contra futuram tempestatem praeueneret: periculum enim erat, ne fidei susceptae semen prorsus suffocaretur, si prae opinionem eripi sibi viderent eum, cui haecenus fidem habuissent: ex cuius doctrina vitam instituisent suam. Et si enim sapius moniti, nondum tamē consistere poterant irruente malo, sed scandalizabantur, quid futurum, si omnino tale quid nihil expectantes, vidissent obtorto collo sibi Christum abripi, ac post varia ludibria in crucem adigi.

3 Vt fallam, quam de temporali regno iam imbebant opinionem ipsorum animis euelleret. siquidem credebant illa Prophetarum vaticinia, qualia sunt apud Isa. 32. 54. Psal. 71. Isa. 9. Daniel. 7. aliisque locis innumeris, corporea prorsus fore: unde rogabant, Domine, si in tempore hoc constitues regnum Israel? Indicat enim aliud scilicet, spirituale regnum, se meditari, & iam parare per passionem.

4 Vt ostenderet se esse eum promissum in lege Messiam, in quem omnia collimarent dicta Prophetarum: neque alium postea expectandum, sed in hunc esse spem omnem collocandam, atque ex praeteritorum certitudine futura esse expectanda: atque ideo resurrectionis, in qua salutis fidelium summa consistit, meminisse.

2. Secundo, Docet quid plerumque sub praetextu Evangelij venari soleat humana ratio, scilicet honores, diuitias & gloriam. siquidem sola resurrectionis mentione audita, mater filiorum Zebedaei, animalis adhuc, nec intelligens quae Dei sunt: somniabat enim externum regnum, in quo sceptrum, gladius, & arma essent corporea, proinde a Christo, quem adorabat petiit, vt sedeant duo filij, vnus ad dexteram, & alius ad sinistram, id est, vt hic in rerum administratione primas teneat, ac Rempublicam gubernet, & hic, secundo loco, consanguinitatis iure, regni negotia curet, particeps non tam curarum, quam quaestus & lucri. Christus autem docet, vt ex responso patet, suum regnum constare fide, Evangelio, oratione, Spiritu sancto, & sacramentis, quibus resistit Satanæ, morti, inferno, mundo & carni. Non est igitur quod in hoc regno quis felicitatem aut securitatem quaerat: nam per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei, Act. 14.

Ratio humana sub praetextu Evangelij honores, diuitias, & gloriam renatur.

Regnum Christi constare fide, Evangelio, oratione, Spiritu sancto, & Sacramento.

& Christum ipsum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam. Propterea respondet non matri, sed filijs, à quibus erat subornata, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptizari baptismo, quo ego baptizabor?* quasi dicat, Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit, 2. ad Timoth. 2. Luc. 18.

3 Tertiò, Præsumptionem horum fratrum, quæ plerunque ex ignorantia, & superbia nascitur, quæ non agnita rei, quam ambiunt, difficultate, tantum ut libidini suæ faciant satis, etiam quæ ultra vires sunt, aggredi non verentur, & obliti propriæ infirmitatis, tamen ut alijs præstantiores videantur, suis viribus maiora expectunt: hos quisquis in concilium adhibuerit Duces, præsumere quidvis non audebit tantum, sed etiam aggredi, licet cælum terræ miscendum foret, tantum valentia in homine ambitio, ut peccatum peccato addere non vereatur. Huius ambitionis tyrannide fit, ut Ecclesiæ, imperia, regna, Respublicæ, ciuitates, & familiæ non tantum dilabantur, sed intereant, euertantur, ac suoditus pereant, dum regnis, & Ecclesiis inhiant Principes Ecclesiastici, & Principes profani, quando illorum sit verbo & exemplo Ecclesiam regere, non opes querere, non arma vibrare, & horum sit imperia armis protegere, ab hostibus defendere: quod fit, ut dum sutor ultra crepidam iudicare pergit, magna subsequatur perturbatio, iustoque Dei iudicio fit, ut dum extra vires nostras efferrimur, turpiter subinde, ut Catherius in portu labamur. Sic Ozias, dum præter suam dignitatem, Sacerdotium usurpat, lepra percutitur, & Chore, Dathan, Abyron, viui absorbentur à terra, Iânes & Mambra. Monet hic igitur Christus, ne quis ultra vires suas sese efferrat, ut Petrus, qui propria sui ipsius fiducia promisit se cum Christo, non in carcerem tantum, sed & in mortem ire, Mat. 26. & Thomas, qui dixit ad reliquos discipulos, Eam, & moriamur cum illo: sed quid accidit? Petrus ter negauit, & Thomas multis Christi reuelationibus post resurrectionem non credidit, Ioh. 20.

4 Quartò, Patientiam Christi, quam ostendit erga hos duos fratres, quibus amicissimè respondet, dicens, *Calicem quem meum bibetis, & baptismate, quo ego baptizor, baptizabimini.* Sedere autem ad dexteram, aut ad sinistram, non est meum

*Ambitio
vnia diruit
& funditus
euerit.*

*Nemo ultra
vires suas
sese efferre
debet.*

dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Quasi dicat, Patiemini quidē propter nomē meū, & hæredes regni mei vos futuros Ipſo deo, tamen in me prius offendimini: sed quia tandem non ex naturæ vestræ viribus, sed ex mea virtute pro me patiemini, etiā regnum Patris mei accipietis, & erga reliquos Apost. qui ægrè ferebant duorū fratrum ambitionem, quòd aliis præferri voluissēt. Sed Christus eos conuocans, tribus efficacissimis argumentis eos conciliat, dicens, Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Nō ita erit inter vos, sed quicumque voluerit maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. sicut filius hominis non venit ministrare, sed ministrari, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Iis tribus argumentis quorum 1, à similitudine regni profani sumit. 2, ab humilitate, quæ decet eos qui humilitatem Euāgelicā profitentur. 3, ab ipſo Christo, qui cū diues esset, ita pro nobis egenus factus est, vt nō haberet vbi caput reclinarer, vt scilicet, ipſus inopia diuites efficeremur. Apostolos corripit: nam ex ignorantia, & carnali prudentia eorum prodibāt cogitationes. Permisit autem Dominus Apostolos huiusmodi vitiis subinde labi, vt pōst prædicatores Euangelii effecti, discerēt patiēter ferre lapſos: iuxta illud, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis huiusmodi instruite, &c. Gal. 6. Christus igitur breui hac concione duorū fratrum ābitiōnem humilitatis commendatione deprimat, & decē discipulorum indignationem cōpescit, siquidem omnibus se in exēplum proponit: hac docet ipsos non debere putare suū regnū iis artibus esse administrandum, quibus mundanū administratur: quasi dicat, Pater meus duos in mūdo ordines, veluti duo luminaria magna, constituit, mūdānum, scilicet, & spirituale, quē cōmisit administrandum Imperatori, Regibus, Ducibus, Principibus, Comitibus, Senioribus, Iudicibus: & Episcopis, Pastoribus, Doctoribus, Præbiteris, Concionatoribusque. vt illi, scilicet, gladio externo bonos defendant, & malos puniāt: hi verò vigilant pro animabus subditorum, Euāgelium prædicent, sacramenta administrent, & excommunicatione legitimē vtantur: quasi dicat, Non decet

Duo in mūdo ordines, mūdānum & spiritūalis.

FERIA QVINTA

vos gladio pugnare, sed verbo diuino, ad Tit. 1. Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Quare ex mea vita exemplum sumite. Ego Dominus cæli & terræ omnium vestrum sum factus seruus: præbete ergo etiam vos erga omnes faciles, &c.

Soler hoc loco disputari ea quæstio, num scilicet iniquè agant parentes, qui suis liberis dignitates procurant, aut Ecclesiasticas, aut ciuiles, de qua vide August. Epist. 121. To. 2. Item Prosperum libr. 3. de Vita contemplatiua cap. 28.

FERIA QVINTA HEBDOMADAE SECVNDAE QVADRAGESIMAE,
Epist. Hier. 17.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, &c. Finis Epistolæ: Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinventionum suarum.



Ac Epistola tria proponit Propheta. 1. Primò, Ostendit in quo potissimum hominis sit cõstituta damnatio, & maledictio: in eo scilicet, quòd confidit in homine, ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Hæc faciunt, qui confidunt in virtute sua, Psal. 48. 117. Prouerb. 11. suam volunt statuere iustitiam, Rom. 10. & iustitiæ Dei nolunt subiici, Roman. 10. Huiusmodi quàm graui & horrèda sequantur supplicia, scripturæ testantur: nam à gratia exciderunt, qui in lege iustificari volunt, id est, qui sine Christo propriis viribus salutem assequi nituntur, Galat. 5. vt in iis glorientur. Inimici Dei constituuntur qui voluerint amici esse huius seculi, Iacob. 4. Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent, Psalm. 52. Tales olim fuere. Philosophi, Iudæi, Pelagiani, Pseudoapostoli, hypocritæ, & Anabaptistæ, qui excæcati propria malitia, laborantes ignorantia veritatis, & concupiscencia rerum noxiarum, euauerunt in cogitationibus suis, & dicentes se esse

A gratia exciderunt qui iustificari volunt in lege volunt.